



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia|| Ivridica,|| Sev Ivs Civile Theologicvm,||

Fickler, Johann Baptist

Dilingæ, 1575

VD16 F 976

De sacrificio Missæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63414)

prehensam transgressorem extremas subire
 poenas iubeamus. Haud enim ignoratis illic
 primùm sanctæ legis cultus initium capit: il-
 lic primùm seruator ipse vnà cum duobus an-
 gelis apparitionem suam Abrahamo largiter
 ac familiariter exhibuit: Illic Deus hominibus
 apparere cœpit: Illic Abrahamo de futuro il-
 lius semine prædixit, ac confestim promissâ
 præstitit: Illic patrem cum plurimarum gen-
 tium futurum prænucciavit. Quæ cum ita ha-
 beant, dignum fuerit, vt mihi videtur, locum
 hunc per nostram curam & purum seruari ab
 omni inquinamento, & ad priscam reuoca-
 ri sanctitatem, ne quid aliud in eo designe-
 tur, quàm vt conueniens omnipotenti serua-
 torique nostro, & omnium Domino cultus
 exerceatur, id quod vos debita cura seruare
 decebit: Siquidem mihi quæ singulariter pie-
 tati annexa, mihi quæ iucunda sunt, vestra vo-
 luerit præstare grauitas. Deus vos custodiat
 fratres dilecti.

Celebritas lo-
 ci Mambrae,
 vbi habitauit
 Abraham.

DE SACRIFICIO

MISSÆ.

Edidit Christianissimus Princeps Iustinianus
 peculiarem constitutionem, in qua vetat, ne in
 priuatis domibus celebretur mysteriū sacrificij Mis-
 sæ, sed tantum in publica Ecclesia, & in domibus ho-
 rum nihil concedi, nisi loca in quibus orationes, &
 psalmerum

psalmodum recitatio tantum, extra ministerium sacramentorum, ac Missæ celebrationis, fieri potest. Titulus autem eius constitutionis sic se habet: *Vis priuatis domibus sacra mysteria non fiant. Quæ constitutione, ut ipse quoque Bartolus ait, prohibetur celebrari in domibus, sine licentia superioris. Et tantum hic est peculiariter, quanta in veneranda atque honore sacra mysteria ante milenos annos habitata sunt à Christianis, quæ hodiè ab impudentibus hereticis pro ridiculo habentur.*

IVSTINIAN. IMP. IN AVTH. VI. *Vis priuat. domib. sacra mysteria non fiant. Scripto ad Mennam Archiepiscopum regie ciuitatis Constantinopolitanæ.*

In domibus priuatis non debet celebrari Missa.

ET priscis sancitum est legibus, nulli permissus esse licentiam, domi quæ sacratis sunt agere: sed publicè sinere procedere in crudelitatem, & Dei culturam, secundum sanctionem de his sacratis actibus traditam. Nos etiam hanc in præsentem ponimus legem, quam cum omni cautela tenere volumus. Omnibus enim interdiximus magnæ huius ciuitatis (Constantinopolitanæ) habitatoribus, magis autem etiam totius nostræ ditionis domibus suis habere quasdam, quasi orationum domos: ET IN HIS SACRA CELEBRARE MYSTERIA, & hinc fieri quædam Catholicæ & Apostolicæ traditionis extranea. Sed siquidem domos ita simpliciter aliqui habere putant oportere in sacris mysteriis orationis videlicet solius gratia, & nullo celebrando

Mysteriū ex eo dicitur, quod secretā & recorditam (veluti Missa) in se habeat dispensationē

brando penitus horum, quæ sacri sunt myste-
rij, hoc eis permittimus. Inuidia enim nulla
est, si volunt circa hæc habere habitacula qua-
dam, & in eis tanquam in sacris orare, aliis
autem omnibus abstinere: nisi tamé in eis vo-
luerint aliquos inuitare clericos. Hic quidem
sanctissimæ maioris Ecclesiæ, & sub ea san-
ctissimarum domuum, voluntate ac proba-
tione sanctissimi Archiepiscopi ad hoc depu-
tatos: in prouincia verò Deo amabiliū Epi-
scoporū nulla nouitate sedi eius beatitudinis
ex præsentī nostra lege faciēda circa existen-
tia ei quolibet modo in ordinationibus, aut
gubernationibus hic, aut in prouinciis iuræ
sed omnibus etiam competētibus ei quolibet
modo & tempore, ratis nunc & in omnē reli-
quum tempus seruandis. Sancimus tuam hæc
cōseruare gloriam, & manifesta omnibus per
literas proprias constituere, quatenus per om-
nia valeat lex. Hæc enim & gloriosissimo Præ-
feto felicis huius vr̄bis, et sanctissimo Archie-
piscopo, & vniuersali Patriarchæ præcipimus,
vt ex civili & sacerdotali virtute hæc perpetuò
custodiantur. Sciant enim & ipsi domū Do-
mini, quia si non hæc custodierint, ipsi quidem
sub imperiali fient motu. Domus autem in
quibus aliquid tale agitur, & publica fient, &
sub sacratissimum nostrum ærarium dedu-
centur. Si autem aliquos cōtingat tale aliquid
in suis habere domibus, sciant, quòd nisi intra
tres menses ex quo hæc lex insinuata fuerit,
Q 2 hæc

1. q. 1. c. mul-
ti. circa med.
Vbi datur dif-
ferentia inter
mysteriū, sa-
crum & Sa-
cramentum.

hæc correxerint, & ad figuram à nobis ordinatam deduxerint, sub prædicta pœna fient. Hæc autem agi cum veritate, non per aliquam calumniam volumus. Veracium enim solum modò sumus amatores. Hæc sancimus cuiuslibet dire tuam celsitudinem, & nihil tale fieri concedere. Scito enim, quia si didicerimus, quod tibi tale aliquid denunciatum, deinde non prohibuisti, aut tu, aut successores tui cinguli futuri: ipse quidem quinquaginta librarum aurearum expones pœnam, et qui successores cinguli futuri fuerint: parens autem tibi officium, idem libere sinebit damnum: quia rem nobis studio sanctissimæ Ecclesiæ custodientem vitæ, & prohibentem quæ à nobis aperte in prædicta sunt, agi latenter passum est, despiciere commissum, & circa ipsum cingulum periclitabitur: insuper & ipsam domum, in qua aliquid tale agitur, fieri publicam, & sub sacratissimum venire ærarium. Scriptum autem est à nobis & sanctissimo Patriarchæ felicis huius urbis, & ipse huius ponat rei providentiâ. Volumus enim sacerdotaliter, et iudicialiter hæc servata durare in reliquum tempus immutata.

IDEM IVSTINIAN. IN AVTH. SED
novo iure. C. de episc. & cleric. &c.

Pœna Episcopi, qui in privatis aedibus permittit celebrari Missas.

Domus privata in qua Missa celebratur, publicatur.

Missæ celebrationem impediens capitaliter punitur.

SI quis sacra ministeria turbaverit, vel celebrare prohibuerit, capite puniatur.

IDEM IN L. XLI. (QVAE ETIAM IN
lib. prætermiff. Cod. est) §. conuenit. C. de
episc. & cleric. &c.

Sacerdo-

Sacerdotes omne studium omnemq; cogitationem **CIRCA DIVINAM LITURGIA**M, ET res Ecclesiasticas consumere debent. Et iterum in eadem lege. Qui constituerunt, vel fundarunt sanctissimas Ecclesias pro sua salute & cōmunis reipublicæ, reliquerunt illis substantias, vt per eas debeant **SACRAE LITURGIAE** fieri, & vt in illis à ministrantibus, piis clericis Deus colatur.

Sic Latinus et Greecus habet text. scilicet liturgiam, quo nomine idē, quod apud Latinos Missa est, significatur.

IDEM IVST. IN AVTH. VT CLERICI
qui reced. aliis pro eis subrogat. præb. emol. &c.
§. illud quoque.

Decernimus, si quis ædificans Ecclesiam, aut etiam aliter expendens in ea ministrantibus alimenta, voluerit aliquos clericos statuere: non esse ei fiduciam vllam, quos vult per potestatem deducere tuæ reuerentiæ ad ordinandos eos, sed examinari à tua sanctitate, sententiæque tuæ, & qui Pontificalem sedem rexerit, semper hos suscipere ordinationem, qui tuæ beatitudini, & qui postea opportuni videbuntur existere, & Dei ministerio digni: vt non profanentur sancta Dei (hoc videlicet, qd sacris sancitur eloquiis) sed intacta hæc & **INEFFABILIA TREMENDA QVE** **CONSTITVTA**, sanctè & Deo amabiliter, & venerandè tractari.

Missa hic ineffabile tremendumque constitutum vocatur.

IUSTINIAN. IMP. IN AVTH. DE ORDINAT. EPISC. & CLERIC. CONST. 137.

Sanè cum hætenus Canones obseruati non rectè fuerint, diuersas ex eo passi sumus interpellationes contra clericos & monachos, & quosdam

Notandū hic est, eo tempore sacrificantes sacerdotes Missæ orationes memoriter recitasse, quas hodie stupidi quidā vel ex præscripto legere vix possunt.

quosdam Episcopos, vt qui secundum diuinos canones non viuerent, & quidam etiam inter eos inuenirentur, qui nec ipsam quidem vel sanctæ oblationis, vel sancti baptismati orationem tenerent, aut scirent. Et post pauca, vbi Imperator crebres monet fieri synodos prouinciales: Si enim hoc fuisset obseruatum inquit, quilibet metuens grauem in synodo accusationem, studuisset vtique & SACRILEGUM EDISCERE LITVRGIAS, & temperanter viuere, ne condemnationi diuinorum canonum subiaceret.

IDEM IMP. IN §. QVIS AVTEM. d. Constant.

Qvis instar figuli vno ipso die scilicet renantis, ita repente fingat veri cultus antistitem, cum Angelis stātem, & cum Archangelis laudes canentem, & Christo confabulantem? Et in §. Enunciari. Ab Episcopo ordinando enunciari oportet SANCTA OBLATIONIS FORMVLA, quæ in sancta communionē fit &c.

IDEM IN §. AD HAEC IVBEMUS. Auth. eod. tit.

Missas alta voce legendas.

Extat etiā in Concilio Basiliensi decretum, quod iubet eos à suo superiore debitè castigari, qui ita sub-

AD hæc iubemus omnes Episcopos & presbyteros non in secreto, sed cum ea voce quæ à fidelissimo populo exaudiatur, DIVINAM OBLATIONEM, & præcationē que fit in sancto baptisate facere, vt inde auditium animi in maiorem deuotionem & Deum laudationem, & benedictionem efferantur. Sic enim & diuinus Apostolus docet, dicens in priore

in priore ad Corinthios Epistola. Caterum, missa voce
 inquit, si solum benedicis spiritu, is qui idiotæ Missam legūt,
 locum implet, quomodo tuæ gratiarum actio- quod à circū-
 ni subiiciet Deo sanctum illud A M E N? si qui- stantib. audi-
 dem quid dicas non nouit: tu autem pulchrè ri non possit.
 gratias agis, sed alius non ædificatur. Et rursus Sess. 21.
 in ea, quæ est ad Romanos, sic dicit. Corde
 quidem creditur ad iustitiam, ore autem con-
 fessio fit ad salutem. Idcirco conuenit, vt ea
 precatio, quæ in sancta oblatione dicitur, &
 aliq̄ orationes cum voce à sanctissimis Episco-
 pis & presbyteris proferantur Domino nostro
 Iesu Christo, Deo nostro, cum Patre & Spiritu
 sancto: scituris religiosissimis sacerdotibus,
 quod si quid horum cõtempserint, & horren-
 do Dei & saluatoris nostri Iesu Christi iudicio
 rationem reddituri sunt.

IDEM IVSTIN. NOVELLA CONST. VII.
apud Iulian. Patric. §. nemini liceat.

Nemini liceat in posterum cuiuscunq; Mo-
 nasterij impiam venditionem, vel dona-
 tionem, vel permutationem contrahere, vbi
 & Altare collocatum est, & SACRA MISSA Ecce hic Mis-
 facta, &c. *Et paulò post.* sa expressè no-
minatur.

Nam si tale aliquid admissum fuerit, refu-
 tari oportet, vt iterum in sanctissimo Mona-
 sterio sacra procedat MISSA.

IDEM IVSTINIAN. IN NOVELLA. SI
quis in domo sua orator. habuer. Apud eun-
dm Iulian, Patricium.

Q 4 Si quis

Hæc Nouella
breuiter com-
plectitur id,
quod Iustinia-
nus prolixius
dixit in Auth.
vt in priuat.
dom. sacr. my-
ste. nõ fiat.

SI quis in domo sua oratorium habuerit, **MISSAM** facere **MISSAM** si clericos Catholicæ fidei habuerit deputatos ex iussione religiosissimi Episcopi illius ciuitatis. *Et post pauca.*

Nulla autem inuidia est, vnumquemque Christianum in propriis ædibus Oratoria habere, & in his orare & psallere sine clericis, **MISSAM** non faciat.

IDEM IN CONST. CXV. APVD
eund. Julian. Patric.

Pena turban-
tis diuina my-
steria.

SI quis **D**IVINIS **M**YSTERIIS intrando Ecclesiam iniuriam fecerit, iubemur eum tormentis subiectum in exilium mitti. Verò **D**IVINA **M**YSTERIA conturbauerit, vel celebrare prohibuerit, capitali supplicio puniatur.

IDEM IMP. IN D. CONST. CXV.
s. si quis diuinis.

Adnota hic,
quod Imp. di-
stinguit inter
mysteria &
ministeria.

SI quis **D**IVINIS **M**YSTERIIS, vel aliis sanctis Ministeriis celebrandis in sanctam intrauerit Ecclesiam, & Episcopo, vel clericis, vel aliis ministris Ecclesiæ iniuriam fecerit, iubemur eum tormentis subiectum in exilium mitti. Sed etsi ipsa Oratoria, vel diuina ministeria conturbauerit, vel celebrare prohibuerit, capitali supplicio puniatur.

DE EPI.